

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vincentii Chartarii imagines deorum ... qui ab antiquis conlebantur

Cartari, Vincenzo

Moguntiae, 1687

Gratiæ

[urn:nbn:de:bsz:31-341151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-341151)

physicè de Venere loquens, ab ea dicit, vim generandi in animantes manare, ac eam semini vim indere; ideoque muliebri forma præditam, ut innuatur, rerum ortum ab ea proficisci, pulcræ eam effingi, quod omnium stellarum longe pulcherrima videatur, quæ vesperi Hesperus, mane Lucifer, juxta M. T. Ciceronis sententiam appellatur; eidem Cupidinem ad latus adstare, quod ab ea libidines immittantur: ubera, ac genitalia operta habere; nam intra illa semen, item & Lac, unde ex semine nata nutriantur, conditum est: è mari natam ferri; quod ejus aqua humida, ac calida credatur, quæ assidue motetur, ac agitata spumas uberes emittat; quæ omnia in semen quoque quadrant. Multa quoque de Venere dici possent, si quis de ea, tamquam de erronum una, deque effectibus, qui huc in terras ex ea dimanant, loqui vellet. Ex quo intelligi daretur, quamobrem veteres, Martem, Deum ita ferocem una cum ea placide degere sinxerint. Sed id cum ad nostrum institutum non admodum faciat, optimo jure à nobis prætermitti posse censemus. Quare ad Gratias ac Horas, Veneris comites transeamus.

G R A T I Æ.

DESCRIPTA à Venere, ejusque filio Cupidine, reliquum est, ut ad ejus comites adumbrandas; accedamus atque ita ad umbilicum institutum opus perducamus. Ex Venerem semper affectari dicuntur; nam sicuti Venus, ac Cupido efficiunt, ut per continuam proiem succrescentem humanum genus conservetur; ita & Gratiæ homines inter se colligatos continent; nam mutua beneficia, quibus alter alterum prosequitur, sunt causæ, cur alter alteri sit gratus, ac omnes vinculo amicitiz simul copulètur; qua ex hominibus sublata, non est dubium, quin homines cæteris animantibus longe inferiores essent, civitatesque disturbarentur, immo ne essent quidem. Itaque dici fortasse potest, satius fuisse mortales nusquam fuisse, quam ubi fuissent, vivere absque Gratiis. At divina providentia, quæ huic rerum universitati prospicit, eas existere voluit. Hæ juxta quorundam sententiam Veneris ac Bachi filiz fuerunt, interque mortales sibi domicilium constituerunt; quæ fabula ideo ficta videtur, quod nihil fere hominibus est gratius iis, quæ ab his Deis in nos manant. Alii aliter eas natas fabulantur: sed est extra rem, qua de agimus, varias de hoc variorum opiniones inquirere. Nonnulli dicunt idem Gratiarum numen esse, atque Horarum, sed distincta tamen esse inter eas munera: Chrysippus Gratias paullo juniores, ac pulciores Horis esse dicebat, ideoque Veneri comites attributas. Horas Homerus ait, cœli portis præesse, curamque habere, ut modo serenum, modo nubilum sit. Hæ idcirco Solis equos curare finguntur, quod ex cursu Solis orientur, seu potius mensurentur, & distinguantur. Unde Ovidius lib. II. Metam. ita de eis scribit,

Gratia quorundam filia.

Ff

Jun-

Jungere equos Titan velocibus imperat Horis.

Jussa Dea celeres peragunt.

*Horæ quat-
tuor.*

Nec aliud quicquam Horæ sunt, quam anni tempora: hincque est, cur eas quattuor faciant, sicut & quattuor sunt anni partes, ita à Sole distinctæ, ac nominatæ; nam apud Ægyptios Sol præter alia nomina, etiam Horæ nomen obtinuit. Itaque de Horis Eusebius in lib. de præparat. Evang. scribit, Horæ, quas quattuor anni tempora, ac cælum claudere, & aperire dicunt, interdum Soli tribuuntur, interdum & Cereri, atque ideo duos calathos ferunt, alterum florum plenum, quibus ver innuitur; alterum sicubus; quibus æstas significatur. Eas Ovidius libro 1. Fastorum Jano comites adscribit, in cæli januis custodiendis. Ibidem libr. v. Floræ comites facit; sicque Floram dicentem inducit,

Conveniunt pictis incinctæ vestibus Horæ,

Inque leves calathos munera nostra legunt.

*Gratiæ
quattuor.*

Pausanias scribit, veteres eas in Jovis capite una cum Parcibus effinxisse; hoc fortasse innuentes, Fatum nil aliud esse, quam Dei voluntatem, a quo etiam temporum vicissitudo proficiscatur. Philostratus eas sic describit; Horæ, corporea specie in terram profectæ, manus contingentes, annum volutant, & tellus belle fert annua omnia. Flavæ autem hæ super spicatum comis ambulant, non tamen ut frangant, aut flectant, sed usque adeo sunt leves, ut ne cum segete quidem cadant. Sunt autem aspectu valde suaves, artisque mirandæ; dulcissimus est earum cantus, in orbeque convertendo, admirabilem spectatoribus præbent oblectationem, cum omnes veluti saltitent: sublarum autem brachium, comæque demissæ libertas, fervensque præ cursu gena, & una salientes oculi, eas pulcerrimas reddunt. Quia ergo hæ efficiunt, ut terra semina sibi commissa magno cum scœnore restituat, perinde atque beneficiorum memor, nobis gratiam referat; hinc factum est, ut Gratiæ quattuor esse ferantur, sicut & quattuor sunt anni tempora, quæ Horæ dicuntur: ex quo intelligitur, illas atque has idem esse. Gratiæ autem coronatæ, una floribus, fructibusque terræ, altera spicis, & frumento, terra uvæ, & pampinis, atque pomis, ultima olivis, cæterisque similibus, Apolloque manu dextera eas gestare fingebatur; quod ex anni partes à Sole proveniant. Eadem Veneri quoque comites sunt assignatæ; quod olim putarent, ab eis proficisci, quod ad oris speciem, corporisque pulcritudinem spectet; ut Diodorus refert. Earum quoque munus est, ne homines beneficiorum sint immemores, sed grato animo gratiam rependant. Quare aliqui duas tantum Gratiæ esse existimant, ut Lacedæmonii, qui quemadmodum Pausanias in Laconicis refert, duas tantum coluerunt, quia duo tantum ab eis in homines opera manant, unum, quod est, in alterum beneficium conferre, alterum, beneficia accepta compensare. Sed tamen idem Pausanias scribit, omnes, qui in Delo Gra-

Gra-

Imago. 87.





Gratias una cum Mercurio, aut Apolline statuas posuere, tres eas effinxisse, easdemque tres in arcis Atheniensis vestibulo exstitisse. Itaque vulgo receptum est, eas tres esse: nam beneficia accepta non solum paria reddere, sed majora etiam, & duplicata debemus. Hinc fit, ut earum unaterga ad nos obvertat, duæ vultibus nos intueantur, hoc innuentes, nobis in beneficio referendo majori liberalitate utendum, quam cum priores officiis aliquem provocamus, quæ in eum collocare non debemus remuneratione expectantes, nam foenus id potius esset, quam beneficium. Gratia quin etiam virgines hilares, ac ridentes effinguntur, ut hinc intelligamus, eum, qui beneficium præstat, nulla fraude uti debere, sed animo candido, simplici, atque hilari omnia facere. Eodem etiam spectat, quod illæ nudæ zonisque solutæ pinguntur, quales Horatius descripsit, nam amici inter se animos nudos, apertos, ac omni fraude solutos habere debent. Pausanias in Bœoticis se ignorare fatetur, à quo Gratia nudæ primum fuerint effictæ, cum olim vestibus amictæ passim pingi etur, seque caussam latere, cur postea nudæ exprimi ab omnibus & pictoribus, & statuariis, ceperint. Idem scribit, Eteoclem Bœotum primum Gratias colendas instituisse, easque tres induxisse, sed se ignorare dicit, quibus eas nominibus appellarit, Hesiodus autem illas ita nominavit, unam Euphrosynam, quæ hilaritatem significat, alteram Aglajam, quæ majestatem ac venustatem sonat, tertiam Thalamiam, quam florentem festivamque interpretemur licet, quartam Homerus Palitheam nuncupavit, quam Juno uxorem Somno se tradituram pollicetur, si is Jovem sopiat: idem unam nominat Gratiam, quam Vulcani uxorem, cumque eo semper degisse dicit: hanc pulchra coma decoram Thetidi obviam prodeuntem describit, cum ea ad Vulcanum proficisceretur, oratura ut is arma pro Achille filio suo fabrefaceret. Eleos Gratias ita formasse legimus, ut una rosam altera talos tertiam myrtum manu præferret: Ratio est; quod rosa & myrtus Veneri sunt sacra, ideo sunt eis tradita, quæ ut plurimum Veneris sunt comites: talus virginum lusus representat, quales matronas haud deceant. Hæc Pausanias. Alii rosa earum festivitatem innui dicunt, talo vicissim eas commicare debere, myrto, eas semper vivere oportere. Alexander Neapolitanus refert, qui ab Aristotele in Ethicis est mutuatus, olim Gratiarum Templum in media platea construi solitum esse; ut eo scilicet homines admonerentur, quo prompto animo beneficia compensarent, id enim Gratiarum munus esse existimabant. Sed id temere fieri nequaquam debet; nam tantum est in vitio ponendum, beneficium in indignum, præsertim non indigentem conferre; quam non ei præstare, qui nostra ope indigeat, præcipue si dignus sit cui succuratur. Id etiam nobis gratiarum imagine significatum, in qua interdum earum Dux Mercurius cernitur, qui rationem ac prudentiam monstrat, ut his ducibus homines utentes, quomodo, quando, quibusque sit beneficium præstandum cognoscant, divi-

nam

nam semper pro vicili parte bonitatem imitantes, quæ semper ad nobis benefaciendum est parata. Ideoque, ut Macrobius arbitratur, Apollo fingebatur dextera Gratiæ gestare, sinistra arcum & sagittas, quod ad noxam sit pigrior Deus, & promptior ad salutem. Sed quomodo circa beneficia gerere nos debeamus, præclare Seneca lib. i. de benef. ex Gratiarum imagine ita docet. Tres Gratiæ sunt, quia ut quibusdam videtur, una sit, quæ dat beneficium, altera quæ accipiat, tertia quæ reddat: aliis vero, quod tria beneficiorum sint genera, Promerentium, addentium, simul & accipientium, reddentiumque. Quid ille confertis manibus, in se redentium chorus? Ob hoc, quod ordo beneficium per manus transeuntis nihil minus ad dantem revertitur, & totius speciem perdit, si usquam interruptus est, pulcherrimus, si coheret & vices servavit, Ideo ridentes, quia promerentium vultus hilares sunt, quales solent esse, & qui dant, & qui accipiunt beneficia. Juvenes, quia non debet beneficiorum memoria senescere. Virgines, quia incorrupta sunt, & sincera, & omnibus sancta, in quibus nihil esse alligati decet, nec adstricti, solutis itaque tunicis utuntur. Pellucidis autem, quia beneficia conspici volunt, sed colophonem huic Gratiarum descriptioni, & universo simul libro addamus, elegans sane Epigramma adscribentes, quod Romæ in ædibus Columnensium Gratiarum simulacro est incisum: id est tale,

*Sunt nuda Charites niveo de marmore: at illas
 Diva columna suis adibus intus habet:
 Par tribus est facies, qualem decet esse sororem:
 Par tribus est atas, Par quoque forma tribus,
 Grata Thalia tamen gemine conversa sorori
 Implicat alterne brachia blanda soror.
 Euphrosynem dextra stupeo Aglaïamque sinistra
 Miror, & implicitis Brachia nexa modis,
 Jupiter est genitor peperit de semine cæli
 Eunomia, & Veneris turba ministra fuit.
 Inde alitur nudus placida sub matre cupido,
 Inde Voluptatis, inde alimenta Deis.*

